Die XXV., qui est Crispini et Crispiniani, disposuimus nos et in capella domus pulsata nola missas celebravimus et audivimus et gavisi fuimus, nos locum ordinarium invenisse pro divino officio. Statim autem post missas, antequam de capella descenderemus, audivimus fragores bombardarum et clangores tubarum et strepitum tympanorum et clamores populorum tripudiantium, quod signum erat adventus alicujus magni domini in navi per mare, tali enim solemnitate recipere solent naves magnatum. Cucurrit ergo familia domus extra ad mare ad spectaculum, nos vero, qui captivi eramus, ascendimus in altanam et ad mare prospeximus in navium portum et ecce grippae et fustes et barcae plenae ornatis Sarracenis in portum appulerunt, ad quorum ingressum haec facta fuerant. Siquidem praepotens quidam Sarracenus de Libya Africae advenerat cui praefectus Alexandriae obviam naves cum armatis miserat, (b) ad eum honorifice suscipiendum, tum quia peregrinus erat sepulchri Machometi, ad quod tendentes ubique cum honore suscipiunt, tum etiam, quia desideratam praedam in mari captam ducebat secum. Idem Sarracenus cum suis in mari navigantes ceperunt navem cum XIII Christianis rebusque eorum inter se divisis ipsos Christianos Alexandriam vendendos adducebant et praedictis clamoribus omnem civitatis populum ad spectaculum convocabant, cumque in terram de navibus descendissent, colligaverunt cordis et funibus illos pauperes Christianos et cunctum exercitum praeire fecerunt miseros captivos et urbem ingressi cum gaudio Christianis lugubre spectaculum fuerunt et causa timoris moeroris et tristitiae. Duxerunt autem eos in fonticum Tartarorum et eos ibi venales habuerunt et vendiderunt. Ende Post hoc ad prandium accessimus et cum luctu comedimus compatientes fratrum nostrorum infortuniis. Anfang Post prandium venit Schambeck et congregatis nobis legit registrum suum et pro solutione thelonei et pro salvo conductu et libertate ambulandi per urbem postulavit de quolibet peregrino XIII ducatos. Quo numero audito obstupuimus dicentes sibi, quod in libellis peregrinorum, qui ante nos fuerant, reperimus non plus quam sex ducatos pro persona et quare nos gravare plus vellet. Respondit: libellos, inquit, vestros non curo, registri mei ordinem tenebo, ideo sine litigio cogitetis de solutione mea et cavete, ne domum hanc egrediamini, nisi per me educti fueritis; si secus feceritis, non bene stabitis. Et hoc dicto egressus est a nobis.

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;